



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Canon VI. Quod gratiæ Dei sumus id quod sumus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

bu secundum auctoritatem & admonitionem Sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda præferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus le&is, sequentes Canones, ad proscribendos Semipelagianorum errores, & veritatem Catholicam confirmandam, condiderunt.

CANON I.

De gratia & libero arbitrio.

55 Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illasâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti (Ezechielis 18.) Anima qua peccaverit, ipsa morietur. Et Rom. 6. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obedientiam, servi estis eius cui obeditis? Et (2. Petri 2.) A quo quis superatur, eius & servus addicitur.

CANON II.

Quod prævaricatio Adæ omnes infecerit.

56 Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis (quæ pena peccati est, non autem & peccatum quod mors est anima) per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti (Rom. 5.) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

CANON III.

De gratia Dei.

57 Si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaia Prophetæ cap. 64. vel Apostolo idem dicenti (Roman. 10.) Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui hiis qui me non interrogabant.

CANON IV.

De purgatione peccati.

58 Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confiteatur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti (Proverb. 8.) Preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti (Philipp. 2.) Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

CANON V.

Quod ad fidem & regenerationem baptismati per gratia domini perveniamus.

59 Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fi-

A dei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratia donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigenstem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit à postolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente (Philip. 8.) Confidimus quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud (ibidem) Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et (Ephes. 2.) Gratia salvus factus est per fidem, non ex vobis, Dei enim donum est. Qui enim tandem quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

CANON VI.

Quod gratia Dei sumus id quod sumus.

Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confiteatur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratia adiutorium, nec ut obediētes & humiles simus, ipsius gratia donum esse contentit, resistit Apostolo dicenti (1. Cor. 4.) Quid habes quod non accepisti? Et (ibidem cap. 15.) Gratia Dei sum id quod sum.

CANON VII.

Quod non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare præexpedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, atque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. 15.) Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli (2. Cor. 3.) Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

CANON VIII.

Nemo per semetipsum salutis æternæ mysterium potest conquistare.

Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad Gratiam baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asseri cōfirmatum, aut certe ita laxum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquistare. Quod quàm sit contrarium, imple Dominus (Joan. 6.) probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi qui Pater attraxerit. Sicut & Petrus dicit (Matth. 16.)

Bea